

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Ipocrisis e
cum fontibus proximo et primo

Quam multos ypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis, circueuntes prouincias.

Omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrose egestatis, aut simulate precium sanctitatis.

Augustinus libro de operibus monachorum.

Dicit enim Augustinus, in libro *de Operibus Monach.*:
Tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis, circumeuntes prouincias:

et postea subdit:

Omnes petunt, omnes exigunt aut sumptus lucrosae egestatis, aut simulate precium sanctitatis.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae*, 187.5.1 (P. Caramello ed., p.834).

→ o serui dei, milites Christi, itane dissimulatis callidissimi hostis insidias, qui bonam famam uestram, tam bonum Christi odorem, ne dicant animae bonae: post odorem ungentorum tuorum curremus, et sic laqueos eius euadant, omni modo cupientes obscurare putoribus suis, tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque
← dispersit, circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. alii membra martyrum, si tamen martyrum, uenditant; alii fimbrias et phylacteria sua magnificant; alii parentes uel consanguineos suos in illa uel in illa regione se audisse uiuere et ad eos pergere mentiuntur. et omnes petunt, omnes exigunt aut sumptus lucrosae egestatis aut simulate precium sanctitatis, cum interea in malis factis suis ubicumque deprehensi fuerint uel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine monachorum uestrum propositum blasphematur, tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare.

Augustinus Hipponensis, *De opere monachorum*, 28 (CSEL 41, J. Zycha ed., pp.585-6, ll.10-24, 1-3).